EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM NEPOTES, SI PARENTVM HEREDES NON FACTI, EA CONFERRE TENEANTVR IN HEREDITATEM QVAE EORVM PRAEDEFVNCTI PARENTES ACCEPERVNT, CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ADSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXVII. IVLII MDCCLXXXI.

PVBLICO

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVGVSTVS LVDOVICVS LORENTZ

SAALFELDIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM NEPOTES, SI PARENTVM HEREDES NONFACTI, EA CONFER-RE TENEANTVR IN HERIDITATEM QVAE EORVM PRAEDEFVNCTI PARENTES ACCEPERVNT, CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COLL. P. O. ECCLES. CAP. ADR. PRIMIS. CANTVARIAE

IN PROVINCIA SVPERIORI ADMISSORE, IAC. FRIDRID. SENIORIS

FILIO, ADVOCATO DOCTORIS

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXII. IVLII MDCCLXXXI.

PVBLICO

EXAMINI

SVBMITIT

AVGVSTVS LVDOVICVS LORENTZ

SAXO-MISNENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA ECKERIA

§. I.

Antiquiori iure Romano, liberis emancipatis a patre emancipante neque institutis, neque exheredatis, sed praeteritis, ad testamentum infirmandum nulla dabatur actio, sed solummodo suis, iura enim familiae et successionis solvebat emancipatio. Quod vero, cum Praetori, aequitati magis quam stricto iuri fauenti, iniquum videretur, emancipatos sub nomine bonorum possessionis contra tabulas ad hereditatem vocabat *a*). Haud enim legislatoris munere fungebantur Praetores, ideoque noua constituere iura iis non licebat; cum vero multa in iure stricto aequitatis obtentu, mutanda censerent, noua callide excogitabant vocabula, et emancipatis non dabant hereditatem, sed Bonorum possessionem. Est igitur *Bonorum possessio* nihil aliud, quam *ius*, *quod Praetor seu lex noua ad similitudinem Praetoris in hereditatem concedit, iure ciuili haud fundatum.*

datum. Contra tabulas dabatur iis, qui in testamento non erant instituti. Si in testamento institutis concedebatur, secundum tabulas appellata est Bonorum possessio. Per istam vero B. P. Emancipati ex Edicto *vnde liberi*, vna cum suis succedebant, cum alioquin nullo gaudebant iure hereditario *b*). Qua vero successione stabilita, suorum deterior aperte facta est conditio, sui enim omnia patri, emancipati vero sibi ipsis acquisiuerunt; ideoque aequum visum est, vt emancipati, ad inaequalitatem tollendam, acquisita conferrent, inde natales nostra nacta est *Collatio bonorum.* Recentiori quidem iure, modo, per liberos suos acquirendi, sublato, cessare deberet collatio, quia fundamentum, cui originem debet, cessat; quia tamen summa nititur aequitate, retenta est, et quidem iis in casibus, vbi liberi quidam, prae ceteris, a parentibus suis, facti sunt locupletiores. *c*)

a) §. 3. I. de exh. lib. l. 2. §. 6. l. 3. §. 10. D. de B. P.
b) §. 9. I. de hered. ab int. l. 1. §. 7. 9. l. 2. l. 4. D. Vnde lib.
c) De Bonor. Poss. eiusque diuisionibus plura hic afferre ratio instituti prohibet; videatur igitur Cell. Procancell. KOCH de Successione ab intest. qui clariori luce hanc materiam eruditis proposuit. Praeterea vid. quoque tot. titul. D. de Bonor. Poss.

§. II.

Priusquam ipsam aggredior tractationem, pauca de Scriptoribus istam tractantibus materiam proferre liceat. Collationem bonorum in genere, omissis scriptoribus quos vetustas premit, e recentioribus egregie illustrarunt I. A. Brunnerus *a*), A. Vinnius *b*), Beckius *c*), Mascouius *d*), et Carrach *e*). Collationem praecipue Iuris Saxonici Elect. tractauit I. H. Boehmer *f*); eruditi quorum nomina

adhuc

adhuc florent. Controuersiae vero, de qua hic agitur, materiam praecipuis commentationibus elaborarunt Kress *g*) et Bastineller *h*).

a) de Collat. bonor. Lips. 1610. 8uo.
b) de Collationibus; Amstelod. 1654. 8uo.
c) de Collat. bonor.
d) de ead. materia.
e) de fundam. et applicatione coll. bon. Halae 1754.
f) de bonis conferendis secund. Ius Sax. Elect.
g) de nepote ea quae parens accepit in vniuers. conferente.
h) nepos patris collat. liberat. cuius scr. in Wernheri Obs. Tom. II. Obs. 500. inueniendum.

§. III.

Collatio igitur *bonorum est restitutio lucri, a parentibus viuis haud irreuocabiliter accepti, ad hereditatem inter liberos diuidendam.* Locum igitur 1) solummodo habet inter liberos *a*); 2.) Liberi, vt lucrum a parentibus *b*) et quidem 3.) viuis, *c*) acceperint, necesse est. Legata igitur eos conferre haud debere, exinde prono fluit alueo. Tandem 4.) requiritur, vt haud irreuocabiliter acceperint conferenda; quae irreuocabiliter acquisita sunt, collationi haud subsunt, veluti ea, quorum collationem parentes prohibuerunt *d*).

a) L. 17. et 19. C. h. t. Nov. 18. C. 6. liberi succedant ex testamento, siue ab intestato. Auth. ex causa C. de Collat.
b) L. 1. §. 23. De Collat.
c) L. penult. et vlt. C. de Collat.
d) Nov. 18. C. 6. l. 18. C. fam. ercisc.

§. IV.

Parentes semper ex se natos aequali amore amplecti praesumuntur, ideoque hac assumta praesumtione, ne

emancipati melioris fierent conditionis, introducta est Collatio bonorum. Ratio igitur ob quam liberi ad conferendum sunt obstricti, nulla alia est, quam praesumtus amor parentum erga liberos *a*). Recte enim Cicero ait: Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? *b*) Nihilque, ceteris paribus, adest, cur vnam alteramue horum liberorum personam magis diligerent? Quo ex praesumto amore aequali, parentum colligitur voluntas, vt aequale sit ius liberorum, et ea, quae liberi a viuis parentibus acceperunt, aequalitatis seruandae gratia in communem conferantur hereditatem.

a) L. 17. C. de Collat. bon.
b) ad Quir. post red. C. 2. et III. de finibus n. 62.

§. V.

Collationis rationem, aequalitatis constitutionem esse dictum est (§. antec.). Hanc vero rationem iure antiquo in emancipatis solum locum inuenisse, etiam disputatum est, quia isti scilicet sibi acquirerent, sui vero, patri; Quo discrimine vero iure recentiori sublato, triplicem inter ius antiquum et recentius oriri differentiam hac in materia statim patebit. Iure enim veteri solum patri, non matri conferebant; mater enim et liberi sibi inuicem non succedebant; per SCtum Orphitianum vero, matri et liberis mutua data est successio *a*); hodie vero isti etiam, qui matri succedunt, conferunt. Iure enim veteri mater instar filiaefamilias in mariti erat potestate, et nihil proprii habebat, quod vero iure nouo cessauit. Deinde, olim solum emancipati suis, hodie vero et sui, emancipatis conferunt *b*). Tandem olim bona aduentitia *c*), hodie vero, postquam legislatores

res rerum aduentitiarum proprietatem ipsis liberis adiudicarunt, solo vsu fructu patri relicto *d*), profectitia solummodo sunt conferenda *e*). Conferunt vero tum quoque liberi, si cum extranea concurrunt persona, attamen inter se, ita scilicet vt liberis, non extraneo prosint conferenda *f*). Fructus ex rebus donatis viuo patre percepti non conferuntur, quia in hoc nititur effectus donationis; post mortem vero perceptos conferre tenentur *g*).

a) Pr. et §. 1. I. et ad Sct. Tertull. et Orphit.
b) L. 10. de Collat. l. 1. pr. de dot. Coll. l. 17. et vlt. C. de Coll.
c) L. 21. C. eiusd. tit I.
d) §. 1. et per quas person. etc.
e) L. 17. C. de Collat.
f) Lynker. Resol. 387. Richter P. IV. Cons. 14. Wernher P. 1. Obs. 263. Stryck V. M. L. 37. Tit. 7. §. 6. Leyser Spec. 409. M. 4.
g) L. 5. §. 1. D. de dotis Coll. ibique Brunnemann.

§. VI.

Collationem, per illationem eius, quod a viuis parentibus in liberos profectum, fieri, ex definitione fluit. Modus vero huius illationis ab arbitrio pendet conferentis, an rerum acceptarum pretium *a*), an res ipsas in specie in communem inferre velit hereditatem, modo posteriori casu res dolo vel culpa conferentis deterior reddita non sit. Priori vero casu, aestumatione scilicet collata, taxationeque antea facta, collatio fit per *Additionem* et *Subtractionem* in portione hereditaria. Aestumatio vero fit secundum pretium rei tempore mortis, testatoris quia tunc demum obligatio ad conferendum nascitur, modo iterum res sine dolo vel culpa conferentis haud deteriorata *b*). Interdum etiam Cautio de conferendo sufficit et heres ad realem Collationem adigi nequit, si scilicet quid? quantumue conferendum?

dum? parum constat. Liquidum enim sub praetextu illiquidi remorari nequit. Quibus ex modis vero oritur diuisio Collationis in *realem* et *cautionalem*; *Realis* vero fit vel ipso actu, vel per Subtractionem, ideoque vel *vera* est, vel *ficta*; plerumque ficta obtinet; cur enim pecuniam conferam? cui bono? recipiendum enim est. *Cautionalis* v ro est, quae fit per fideiussores aut pignora *c*) Collationem dotis lubens praetereo; dos enim inopia mariti sine culpa aut dolo vxoris amissa collationi haud subest *d*).

a) L. 1. §. 11. et 12. de Coll.
b) L. 1. §. 23. ei. tit.
c) L. 1. § 9. 11. et 12 eiusd. tit.
d) Nou. 92. C. 6. pr. et §. 1.

§. VII.

Iure nouo sine discrimine conferunt descendentes siue ab intestato siue ex testamento succedant *a*), nulla habita ratione sexus, patriae potestatis aut gradus *b*), sui aeque ac emancipati per supra exposita. Minime vero ad conferendum obligati sunt ascendentes *c*), nec collaterales aut extranei *d*).

a) Nou. 18. C. 6.
b) L. 17. et 19. C. de Coll. Nou. all.
c) Arg L. 19. C. all.
d) Arg. d. Nou. 18. C. 5. et 6.

§. VIII.

Ad ea, quae ex proposito tractanda sunt, nunc est transeundum. Solos descendentes ad conferendum esse obligatos §pho anteced. dixi. Nepotes vero auo suc-

ſuccedentes, ſine dubio deſcendentium numero quoque continentur, ideoque ad conferendum ſunt obligati; *a*) quod collationis fundamentum, vti in liberis primi gradus, exigit; ſunt ne vero indiſtincte, etiam praedefunctorum parentum ſine dolo vel culpa heredes non facti, ad conferendum ea, quae parentes acceperunt, obligati? Haec quaeſtio, magno inter eruditos orto diſcrimine, quam maxime dubia eſt reddita; quod ad me attinet, eam nec prorſus affirmare, nec prorſus negare auſim. Viam quam ingredior aperiam, vt variorum Dd. varias explorem opiniones.

a) L. 7. D. L. 17. et 19. C. de Collat.

§. IX.

Quaeſtionis propoſitae reſponſionem, variis formant modis eruditi. Quidam enim aut prorſus eam negant; quidam directe affirmant; quidam diſtinctionem admittendam eſſe cenſent; quorum numero me quoque adſcribendum eſſe fateor, minime vero vulgarem doctorum amplector diſtinctionem. Primo igitur id quod ſentio, dicam, deinde aliorum proferam opiniones. Mea huius tenoris eſt diſtinctio: Nepotes patris hereditate abſtinentes, *aut* de his, quae praedefuncti parentes conferre tenebantur locupletiores facti ſunt, alioque modo quidquam eorum acceperunt bonorum, v. c. per donationem, *aut* non. *Priori caſu* eos ad conferendum eſſe obligatos, ſtabilito collationis fundamento, dico; *Poſteriori* vero caſu, eos collationis onus ferre haud debere, ſalva tamen patruorum, ſi cum his concurrant nepotes, legitima, quippe quae nullo modo diminui poteſt, pro viribus deducam, et non ſolum legibus ſed aliis quoque ſuffultam rationibus meam diſtinctionem proponam.

§. X.

Nostrae haud aduersari sententiae leges, dictum est. Primo sese offert lex, auctore Celso, his verbis: „Nepotes in locum filii succedentes ita conferre debere, quasi omnes vnus esset.“ *a*) Titulus Pand. de Collat. manifestam in hac doctrina esse aequitatem, aperte dicit, et aequitate assumta et fundamenti loco posita, quis aliter hanc legem interpretaturus est, quam: nepotes ad conferendum esse obligatos, ita tamen, vt omnium Conditio par sit? Quorum vero Conditio meliori gauderet fortuna quam coheredum, si nepotes ea, quibus non fruiti sunt, conferre deberent? Quis deterriorem deploraret Conditionem quam nepotes? Dicat forte quispiam, quid? coheredes igitur damnum sentire debent eorum bonorum, quae praedefunctus nepotum parens ab avo accepit? Respondeo, est casus, filium reliquis coheredibus locupletiorem prius vita excessisse. Deinde liberi, damnum exinde passi, quod sine dolo vel culpa parentum heredes non facti sint; duplex sentirent, si praeter illud, quod heredes non facti sint, bona haud accepta conferre deberent, omisso deplorando casu amissionis parentis. Maxima quoque in defunctum fratrem esset impietas, si patrui tanquam coheredes, ea, quae defunctus accepit, a nepotibus patris hereditate patreque destitutis, exigere vellent. Meam porro affirmat sententiam Paulus, dicens: „De illis, quae sine culpa filii emancipati post mortem patris perierunt, quaeritur, ad cuius detrimentum ea pertinere debeant? Et plerique putant ea, quae sine dolo vel culpa perierint, ad collationis onus non pertinere; et hoc ex illis verbis intelligendum est, quibus Praetor boni viri arbitratu iubet conferre bona; vir autem bonus non sit arbitraturus, conferendum id, quod nec habet, nec dolo nec culpa desiit habe-

re.“

re.“ *b*) Initia huius legis loquuntur de filio patri succedente, ea conferre haud obligato, quae sine culpa aut dolo post mortem patris perierunt; num hoc beneficio indigni sunt nepotes? Minime; sine culpa eorum periit patria hereditas. Hoc in exheredatione bona mente facta, quam leges agnoscunt, v. c. evenire potest. Sed mittamus hoc, legis initia nos parum stringunt; loquuntur enim de filio patri succedente, non autem de nepote. Ratio vero, ex qua in hac lege controuersia deciditur, generalis est; ait enim lex, ita pronunciatum esse, quia praetor generaliter dixisset: „boni viri arbitratu conferendum esse, virum bonum vero non esse arbitraturum quod quis nec habet nec habere desiit.“ Nonne vero nepotes quoque generalem istam dispositionem in suos vsus conuertere possunt? cum nec dolo nec culpa, bona, quae praedefunctus eorum parens habuit conferenda, *c*) amiserunt? si vero quid horum possideant bonorum, eos ad conferendum esse obligatos, distinctio nostra et haec ipsa lex monet. Porro ipse Iustinianus, *d*) duritiem vocat, mulierem coactam esse conferre dotem inopia mariti, sine dolo vel culpa amissam; addit quoque leges, antea latas, plurima ignorare. Cum enim Iustinianus ingenio prorsus diuino haud erat praeditus, quia non Deus, sed homo erat, multa quoque in ordinandis his legibus, fugitiuo, ad hanc rem illustrandam oculo perlustrasse, patet; cum vero hoc ingens opus, legum nempe collatio, vnius hominis vires longe exsuperaret, in fine huius Nouellae ait: quia plurima hae leges ignorarent, et obscura proponerent, eum commotum esse, istam claram ac perspicuam in lucem emittere dispositionem. Qua vero ex constitutione patet: eum iniqua tulisse mente: multa iudicia mulierem coëgisse conferre dotem, quam tamen inopia mariti amiserat; hoc vero ad

nepotes quoque esse applicandum nemo ibit inficias, cum par ratio adsit, vbi vero eadem ratio, ibi quoque eadem dispositio, et vnius positio non est alterius exclusio. Dicta vero Nouella tanquam nouissima lex, in Cod. sub tit. de Collat. ab imperatoribus Leone et Iustiniano prolatas sententias, magis determinat et illustrat *e*). Haec de Legibus sufficiant.

a) L. 7. D. de Coll.
b) L. 2. § 2. D. de Coll.
c) L. 1. §. 23. de Coll. his verbis: Confertur etiam, si quid eius non fuerit, dolo malo autem factum sit, quo minus esset. Sed hoc sic accipiendum, vt hoc demum conferatur, quod eius esse desiit dolo malo; Ceterum si id egit, ne acquireret, non venit in Collationem.
d) Nou. 92. C. 6. pr. et §. 1.
e) L. 17. et 19 C. de Coll.

§. XI.

Alia quoque nostram distinctionem probantia videbimus argumenta. Summam in hac re adhibendam esse aequitatem, vix in medium proferre opus est, cum iam initia Tit. Pandect. de Collat. conspirant; (§ ant.) Quid vero durius, quam ea conferre debere, quibus non fruiti simus? et talem quis admitteret duritiem, nepotes ad conferendum id, obligans, quod non acceperunt *a*). Porro liberi abstinentes debita parentum haud praestant; Quid vero hoc aliter, quam debitum parentum? Heres per aditionem hereditatis facta defuncti et debita praestare tenetur *b*). Obligatio enim ad facta defuncti praestanda exinde oritur, quod heres personam defuncti repraesentet. Repudiata autem hereditate, ex isto liberatur nexu heres, ergo non amplius repraesentat personam defuncti. Quod vero non solum ad extraneum, sed quoque ad liberos spectat, cum non amplius sint heredes

ces necessarii passive tales, concesso iis beneficio abstinendi *c*). Deinde liberi parentum hereditate destituti, suo iure auo succedunt *d*); Morte enim patris cessat nexus patriae potestatis ac soluitur *e*). Liberi nunc fiunt sui iuris, et remanet solus cum auo nexus; accedit quod parentum heredes non facti eorum debita et obligationes haud praestent; ergo non video, ex quo fundamento ad collationem teneantur, si nihil ad eos peruenit? Non repraesentant personam sed gradum *f*); nepos quoque, repudiata licet hereditate paterna, ex beneficio Praetoris auitam potest amplecti hereditatem *g*); nec hoc Praetoris beneficium nepoti fraudi ac damno esse debet *h*). Dicat vero forsitan quis: hoc ipsos beneficio mactaui, vt, si commodum ipsis videatur, a patris successione abstinere, et nihilosecius ad aui hereditatem adspirare valeant; quae facultas iure ciuili haud competit. Recte! vir vero prudens in distribuendo beneficio, gaudium nulla cum tristitia miscet; Quale autem beneficium, si fere vix acceptandum est! Praetor semper aequitatem respiciens, hoc etiam casu eam respexisse censendus est. Obligatio quoque nepotum ad conferendum, si non locupletiores sunt, hoc produceret absurdum: quod coheredes etiam ex parte nepotum fierent heredes, quia nepotes ex propriis, nec ab auo nec a patre acceptis bonis, collaturi essent. Cuncta igitur pro nostra pronunciant distinctione: nepotes, nisi locupletiores facti, ad conferendum haud esse obligatos, si paterna abstinuerunt hereditate.

a) L. 1 §. 23. D. de Coll. Carpzou. P. III. C. 33. n. 4.
b) L. 87. de R. I. L. 24. de V. S. L. 8. D. de acquir. vel omitt. heredit. L. 10. de Iur. deliber.
c) L. 11. 12. 57. D. de aquir. vel omitt. hered.
d) Carpzou. P. II. C. XXXV. d. 12. nec non d. 11. n. 10.
e) §. 1. et 3. I. quibus mod. patr. pot. solu.

f) Hom-

f) Hommel Rhapf. Quaeft. Obf. LV. pag. 48. Carpzou. P. II. C. 35. d. XIII. et de XI. n. 10.
g) L. vlt. C. vnde liberi.
h) C. 61. de R. I. in 6.

§. XII.

Expofita nunc mea fententia, quid alii fentiant, dicam. Primo fefe nobis offerunt ii, qui prorfus adfirmant, nepotes ad conferendum effe obligatos, omiffa licet fine dolo vel culpa patria hereditate. Quorum numero continetur, Kreffius, Wernher et Hellfeldt. Quae fint eorum rationes, videbimus. Primum eorum argumentum eft: „morte patris duriorem reddi non debere coheredum conditionem.“ Nihil hic fere addendum eft, cum fupra dicta docent, cuius durior fit conditio, nempe nepotum. Conferendum enim quafi omnes vnus effet; tali vero modo, vt noftra dicit diftinctio, omnium par eft conditio, omnes ferunt cafum; fi nepotes foli, eum ferre deberent, coheredes non folum auo fed et certo modo nepotibus fuccederent, cum ifti ex propriis cafum effent laturi. Ad alterum progredior: „Pater tenebatur ad conferendum, cur non quoque eius filius?“ Quia patris heres non eft factus nec locupletior eft; nec perfonam patris fed gradum repraefentat (§. ant.); cur filius ferre debet patris peccatum fine fua culpa admiffum? Porro aiunt: „Nepos plus non petere poteft, quam pater fi vixiffet.“ Largimur quatenus re adhuc integra et non praerepta hereditate auita; Iuftianianus enim in lege ab aduerfariis citata *a*), generaliter de fucceffione difponit, minime vero de Collatione, cum fatis clare de hac materia alibi locutus erat *b*). Generaliter enim ait: mortuo filio, nepos nunc auo fuccedit in ea portione,

tione, in qua viuens pater eum exclusisset. Deinde, „nihil intuitu aui coheredum ad rem facere, vtrum nepos sui patris heres fieri velit, nec ne, cum vtique non de huius sed aui hereditate agatur, ad eamque posteriorem nepos meliori iure vocari nequeat, quam eius pater.“ Ex facto alterius nemo potest conueniri, nisi quatenus alterius heres factus est atque ad eum aliquid peruenit *c*); nullo quoque loco ratione liberorum inuenitur restrictio; retinent quidem, licet abstinuerint, nomen heredis, attamen absque periculo *d*). Porro fundamenti collationis citatio, pro nostra est sententia per supra exposita. „Sicuti obitus patris, aiunt, nihil prodest coheredibus, sic surrogatio non debet obesse.“ Nepotibus obitus patris nihil prodest, cum eius heredes non sint facti, ergo surrogatio iis non debet obesse, et coheredes cum damno eorum non fieri debent locupletiores; minime enim nepotes patrem, sed gradum repraesentant; et patrem praedefunctum quid ab auo accepisse, personalissimum est, quod gradui non inhaeret. Afferunt quoque: „qui habet commoda, incommoda quoque ferre debet.“ Ast hereditas auita iure meritoque ad nepotes nunc pertinet, coheredes illis nullum praestant commodum, ad quod remunerandum, hoc in se suscipere deberent incommodum. Coheredes reliqui eodem gaudent commodo successionis vt nepotes, ergo et hoc pro rata ferre debent incommodum. Tandem aiunt: „toties collationem locum habere, quoties aliquo incommodo afficitur is, qui collationem petit, interuentu eius, qui vult succedere cum eo“ *e*). Hoc vero ad antiquum modum ratione collationis emancipati pertinet; Interpretanda enim haec lex de veteri modo succedendi, cum leges recentiores, iam supra allatae, satis clare loquuntur, et leges semper interpretandae sunt,

ne

ne lex legi obstet; alias enim, si aperte sibi inuicem obstarent, lex posterior derogat priori.

a) Nov. 118. C. 1.
b) Nov. 92. C. 6. pr. et §. 1.
c) L. 38. l. 44. l. 127. l. 157. § 2. D. de R. I.
d) L. 30. §. 10. de fideic. libert. Berger P. II. Resp. 199. n. 2. Leyser Sp. 369. M. 4. seqq.
e) L. 1. §. 5. de Collat.

§. XIII.

Doctorum in numero quoque sunt, qui prorsus obligationem nepotum ad conferendum, si parentum heredes haud facti, negant. Quorum numero praecipua sese commendauit disputatione *Bastineller* (§. II.) Cuius argumenta non solum leges, sed et alia quoque sunt ratiocinia. Videamus igitur leges, quas profert praecipuas. Affert primo legem auctore Paulo: „Virum bonum non esse arbitraturum conferendum id, quod quis nec habet, nec dolo nec culpa habere desiit" *a*). Quae lex iam supra pro nostra citata est sententia; quis quoque, quaeso, non videt, eam nostris fauere partibus? si scilicet aliquo modo nepotes sint locupletiores, eos hoc ad conferendum esse obligatos; legis enim verba sunt clara ac perspicua. Praeterea citatae legis §phus 6. huius non est loci nec quidquam ad probandam rem facit *b*). Leges Codicis Leonis *c*) nec non Iustiniani, quas in Nouellis *d*) ampliauit Iustinianus, iam supra in nostros conuersas esse vsus, per supra (§. X.) dicta, patet; nihil igitur hoc loco addendum esse censeo. Videamus igitur reliqua, quae profert, argumenta; primum est: „non ex arbitrio patris, sed legis prouidentia nepotibus successio auita debetur." Recte! et hoc pro

nostra

pro nostra militat sententia; nepos non conferre tenetur nisi locupletior sit, nam si locupletior factus est, ex legis dispositione, ex qua vocatus est conferre tenetur, prout docet collationis fundamentum. Alterum est: „quia cum patris tum nepotum aui heredum, ius et potestas ex tempore mortis aui, vel delatae hereditatis auitae expendi debet, quippe nulla hereditas antequam delata, est acquiri potest vel repudiari, pater vero onus auitae hereditati priusquam delata est imponere nequit, vt extraneus.“ Quod iterum in nostros conuerti posse vsus, in aprico est; pater enim nepoti quidquam eorum, quae collationi suberant, tribuens, licet nepos patris hereditate non sit potitus, hereditati auitae non imposuit onus, nepos enim habet, quod conferendum; et hoc casu collatio tanquam onus considerari nequit, bene vero si nihil accepisset; Ceteris enim coheredibus locupletior fieri non debet. Tandem: „quia nepos ex beneficio praetoris auitam potest amplecti hereditatem, repudiata licet hereditate paterna *e*), neque hoc ei fraudi esse debet.“ Omnino fraudi esse non debet, nec est, si locupletiores sunt nepotes; hoc enim casu idem est, ac si ab auo ipso accepissent conferenda, si vero non locupletiores sunt, non conferunt, nihil enim ad conferendum habent. Satis igitur constat, allata argumenta ad nostram magis firmandam facere sententiam.

a) L. 2 §. 1. et 2. D de Coll.

b) Legis verba haec sunt: Si ex emancipato filio nepos emancipatus, mortuo patre simul et auo, bonorum possessionem vtriusque acceperit, eum vterque eorum suum heredem reliquerit: eo modo collatio explicari potest, vt, si, verbi gratia, centum in bonis habuit, et patruo quinquaginta, et fratri quinquaginta conferre debet: hoc enim ratio facit, siue personas siue portiones numeremus.

c) L. 17. C. de Collat.

d) Nov. 97. C. 6. pr. et §. 1.

e) L. vlt. C. vnde liberi.

§. XIV.

Ad tertiam nunc accedo sententiam, quam Carpzouius defendendam sibi elegit *a*). Iste enim, recte iudicans: nepotes non personam sed gradum repraesentare, distinctionem admittendam censet, huius quidem tenoris: Nepotes repudiata hereditate paterna, aut cum auunculis, patruis aut matertis, seu breuius cum Thiis, auo succedunt, aut non, sed quoque cum nepotibus. Priori casu conferenda censet, quae praedefuncti parentes ab auo acceperunt; posteriori vero casu, a collatione eos esse immunes, docet. Quali vero fundamento nititur haec distinctio? ait enim: priori casu ex beneficio patris succedere; nonne vero posteriori quoque casu hoc dicendum est? patris facto quoque adsunt, et quia adsunt propter nexum succedunt; cur igitur distinguendum? Porro affert: conferre debent priori casu, non quia personam repraesentarent, repraesentant enim gradum, sed quia iam pater quid accepisset; nonne vero posteriori casu quoque hoc quadrat argumentum? vbi iterum distinctio? Affert porro communem Dd. opinionem; ast hanc opinionem non legem facere, in aprico est, Dd. enim non legislatoria gaudent potestate. Communis quoque Dd. opinio erronea esse potest; Sunt vero quoque, qui in contrariam abeant sententiam, vt dictum est. Dubiam quoque iamiam reddidit Carpzouianam sententiam Berger *b*), et Ludouici *c*). Et Bergerus nostrae magis fauere videtur sententiae. Carpzouii distinctio, nulla lege fundata, absque omni assumta est fundamento. Quae antea ab eo dicta sunt, magis contra eum pugnant, quam vt ei faueant. Nepotes enim non repraesentant personam sed gradum, id vero, quod parentes quid acceperint, personale quid est, nec gradui inhaeret;

inhaeret; nam si gradui inhaereret, parentes id etiam nepotibus relinquere tenerentur; nihil enim in eorum praeiudicium suscipere queunt ratione hereditatis auitae, nec hereditati pro se suisque heredibus renunciare; tali vero modo tacite essent renunciaturi, pro se suis que heredibus, quod vero nequeunt, cum renunciatio pro se suisque heredibus facta, nepotes ex propria persona auo succedentes, non excludat *d*)! Si vero quid acceperunt, licet heredes non sint facti, e. g. per donationem, hoc conferre tenentur; hic enim habent, quod conferant, et idem est, ac si ab auo acceperint. Successio quoque si cum thiis concurrant in stirpes, ac cum nepotibus in capita, non obstat. Cum thiis succedentes in stirpes succedunt, quia paulo remotioris gradus sunt, et thii fortius ius in hereditatem patris habent; Nepotes vero aequali inuicem iure aestumandi sunt ideoque aequaliter succedunt. Ratio huius dispositionis non in collatione quaerenda est. Haec sufficiant, satis enim clare inde apparet nostrae sententia iustitiae et Carpzouianae rationibus destitutae iniustitia.

a) Carpzou. P. III. Const. XI. d. 33. et 34.
b) In Oecon. iur. L. II. Tit. IV. n. 51. not. 1.
c) In Compend. Pand. sab tit. de Coll.
d) Carpzou P. II. Const. XXXV. def. 11. et 12. Argumenta eius et leges ab eo citatas hic afferre haud necessarium puto, cum satis clara sunt argumenta.

§. XV.

Plura doctrinae de Collatione bonorum capita proferre ratio prohibet instituti, satis enim pro scopo dictum esse censeo. Quid enim ad rem facit: Quae conferenda sint

bona, quandoque collatio cesset? cum de obligatione nepotum ad conferendum erat dicendum. Praeterea quaestio: qualia conferenda sint bona? multas doctorum amplectitur controuersias, in quarum diiudicatione ingens enasceretur opus. Satisfactus sum si ad stabiliendam meam sententiam pro viribus sat protuli, ideoque plura hic non addo.

Leipzig, Diss., 1781

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

VTRVM NEPOTES, SI PARENTVM HEREDES NON FACTI, EA CONFERRE TENEANTVR IN HEREDITATEM QVAE EORVM PRAEDEFVNCTI PARENTES ACCEPERVNT, CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MERSEB. CAPITVL. CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ADSESSORE, FACVLT. IVRID. SENIORE ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

A. D. XXVII. IVLII MDCCLXXXI.

PVBLICO

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVGVSTVS LVDOVICVS LORENTZ

SAALFELDIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA